


Andreas

Kotacki Adami Gramma.





GRAMMA

Virtute, eruditione, morumq; præstantia ornatiss:

ANDREÆ PETRICOVI,

In Alma Academia Cracouiensi primam Lauream assequenti.

CONSCRIPTVM

Ab ADAMO KOŁACKI, in eadem Academia Studioso Philosophiæ, amoris ergo.





CRACOVIÆ,

Anno Domini, M. DC IIII.

APOSTROPHE DEDI-
CATORIVM.

A Ccipe Palladiũ,tibi quod fero munus,amice,
N ec renuas placida, quæſo,tenere manu.
Dent alij quamuis aurum, maiora requiras,
R es hæc difficilis, ſæpe doloſq; parit.
E ö Aſq; ferant gemmas: quid mollius auro?
A Mplæ diuitiæ ſcis; citò diſpereunt.
E R G O né nõ meruit deſcriptus carmine Vlyſ-
P eRpetuũ cuius ſtet ſine morte decus? (ſes,
ErgoPrIamidæ non metri gratia fecit,
T ot Simul vt volitet docta per ora virûm?
Rara ſuis donat Pactolus munera, quæ non
I mmiti, rapiat ſors malefida, rota.
Carmina non tẽpus violat, non Parca ſuperbo
O mnia quæ præceps vendicat imperio.
Viue diu, tantoſq; tibi grateris honores,
I ô cane, te eſſe hilarem noſtra Thalia cupit.

SOMNIVM DE LAVREA.

Mens studiis agitata suis, post magna laborum
Tædia, vix compos fortè quietis erat.
Mox ecce in somnis vultu pulcherrima virgo
Astitit ante oculos; credo Camœna fuit.
Huius vestîbat veneranda modestia gressum,
Numen in incessu, splendor in ore fuit.
Splendida cingebant crepitantes tempora lauri,
Diuino tanquam fulsit ab ore decor.
Obstupui: visam simulo demissus ocellos,
Nam mea iam tremulus cœperat ossa pauor.
Illa sed accelerans propius vestigia pressit,
Oreq́ꝫ mellifluo talia verba dedit:
Surge age, quid toto proflabis pectore somnum?
Consilii attentus percipe verba mei.
Est mihi præ reliquis dilectus semper alumnus,
Qui studiis meruit dona referre suis.
Laudibus hunc alij tollunt (nam dignus) in astra,
Solus tu in laudes pectora muta geris?
Nec plura his: ratusq́ꝫ ego subdola somnia nocte
Ludere fallaci, visa repello procul.
En iterum iuuenis vultu venerandus honesto,
Est visus nostra ponere sede pedem.
Vix illo quidquam formosius ante videre,
Forsan mortali lumine contigerat.

Candida cæsaries niuea ceruice fluebat,
Et color in roseo corpore lactis erat.
Pulchra triumphales circum sua tempora lauri
Frondebant, viridis texerat vmbra comas.
Longa videbatur talis illudere vestis,
Quod tamen admiror, pullus amictus erat.
Non aliter veluti quando Titania Luna
Ante nitens, vultus mox capit vmbriferos.
Interea mundum fessis emensa quadrigis
Nox fugit, & Phœbo iam rubuêre Poli.
Hæc ego sollicitus, dubia dum mente voluto,
Somno sic trepidus iamq; solutus eram.
Vix tandem subiit mentem, tua PETRICOVI
Laurea, quam fuerat certa latura dies.
Sed ne retrogrados facerem per deuia cursus
Compita, cuncta simul sedulus examino.
Nam seu conspicuos artus, faciemq; serenam
Pensito, seu nitidis candida colla comis.
Siue togæ specto velamina, siue colorem,
Te mihi non alium, somnia vera notant.
Jam tunc corripui trepidantia membra cubili,
Exposuiq; aliis hæc mea visa statim.
Consilium capio, numeris vt carmina fundam,
Quod iam opus aggressus, te duce Phœbe faue.
Tuq; cui canto lætam concedito mentem,
Nec minus autorem sed mage, semper ama.

ENCOMI-

MVsa faue, nouus en cultor tua tecta subintrat,
Nobisq́; in laudes suggere verba suas.
Ipsa veni potius, redimitaq́; tempora lauro,
Blanda, laudisonum concine, voce, melos.
Tuq́; pater vatum, Cytharæ primusq́; repertor,
Pectine flexanimo, consona plectra moue.
Hic est ille puer, qui primis cultor ab annis,
Ingressus campum vestraq́; castra fuit.
Hic, cui delitiæ Musæos cernere vultus,
Et terere assiduo vestra lycæa pede.
Hunc tu præsentem spectasti semper alumnũ,
Dum celebris resonant Pulpita Gymnasij.
Hunc, auidis, fundit quando sapientia verba,
Auribus astantem, cernere semper erat.
Dum vigil Aeschyleo cõponit verba cothurno,
Discit & in varios cogere verba modos.
Dũq́; obscura Sophûm relegit theoremata, pul-
Omnia conseruans, sedulus ingenio. (chro
Hic nitet exemplum, reliquis venerabile morũ,
Hic omni demum nomine clarus adest.
Hic quantum poterant eius se extẽdere passus,
Artes amplexus docta Minerua tuas.

Hic, inquam, meritò, primos affectat honores,
Dignus cui nectat dextera, serta, tua.
Dignus cæsariem decoret Parnassia laurus,
Præmia, sic duro, digna labore ferat.

Inuitatio Musarum ad gratulationem.
Ode. Monoc. Monostroph.

EN iam nostro victori ANDREÆ,
Laurea fertur: præstò Camæna
Sis, nunc mœstos ponito luctus,
Candida placidos sumito vultus.
Exantlatos postq́ labores
Multos, lætum concine carmen.
Vt maiores animos sumens,
Maiores quoque, curarum velit
Vincere moles, corde infracto.
Corripe celeri, Cytharam dextra,
Tyrio pulsa pectine Chordam,
Hilaris cœptos peragat passus,
Hilaris tantos sufferat æstus.
Huc Threicius pareat Orpheus,
Et testudine recinat blanda,
Omnia reserans organa vocum,
Quo modulamine sic attonitos
Teneat cælos, vt quo tempore

Dantur

Dantur honores PETRICOVIO.
Sint ſine duro frigore noctes,
Sint ſine nubeq; nitidi ſoles.
Non contriſtent Hyades æthera
Pluuio frigore: glomeret nonq;
Infeſtam Hyemem triſtis Orion.
Non immani, Boreas aſper
Turbine terras verberet: Eurus
Nec ſtridentibus infremat alis,
Zephyri at moueant mollia flabra,
Gratum ſpiretq; aura calorem.
Omnia denique curſibus affluant
Optatis ſibi; vigeant ſemper
Validæ in læto corpore vires.
Hoc tu canito Cythara Nympha,
Hoc Thymbræus dicat Apollo:
Vos comitetur cætera turba,
Modulo dulci Sycelidarum.
Sicq; harmonico pſallite plauſu,
Veſtro reſonent æthera cantu.
Hoc inquam vos dicite carmen,
Hoc Lyra veſtro cantet alumno.
Nos quoque ſequimur, plena fauoris
Verba ferentes. O chare ANDREA,
I pede fauſto, ſoboles multùm
Grata Camænis. I, quàm poſſunt

Longè

Longè properi tendere passus.
Ardua fateor calcanda tibi
Est via; Nūc primùm agmine curret
Incomposito, mille labores.
Nunc Gymnasij limina tangas
Sæpe, necesse est, bene & instructus
Artibus, acer pulpita scandas.
Nunc mage pulchras facito lites
Veri (semper victor) amore.
Nunc spectabitur omnibus, imo
Tua, quam gestas pectore, virtus.
Sed tibi non hæc mentem terreant,
Vinces omnem crede laborem.
Tu modò vigilans ne tibi desis,
Facili gressu cuncta sequentur.
Perge age, studia hæc, tempore multo
Cœptaq; largo fine corones.
I sidus, tua maxima virtus
Æquales præit, ac micat inter
Ignes veluti Luna minores.
I, spes tremulæ magna senectæ
Tui genitoris, nec minor almæ
Nostræ Academiæ, & hæc quoq; gaudet,
Se nunc tales edere fœtus.
I, nec desine figere gressus,
Sueuit nam exitus acta probare.

Donec

Donec fœlici omine cuncta
Patrans, cumules virtutis opes:
Tandem posthac æquo, Superos
Adeas lætus, iure Quirites.

Quod caret alterna requie durabile nō est. *Ouid.*

Sed ne rapido concitus œstro,
Fors incauta mente, labores
Subeas, pulchræ laudis amore,
Hoc & nobis vitio vertas:
Monitis prudens pectora præbe.
Sit modus omnia iure gubernans,
Namque insani Sapiens nomen
Referet, si vltrà, quàm satis, ardens
Vult virtutis tangere culmen.
Cernere possis dilecte ANDREA:
Fortiùs ecquid dixero tauro,
At tamen aruis concidit ille,
Nimio pressus membra labore.
Et quæ nunquam vacuo cessat
Terra nouali, lassa senescit,
Pondere fructus sæpe premente,
Facilis nec post munera donat.
Ad certamina sonipes Circi
Fisus quamuis pedibus, si non
Intermissis cursibus ibit,
Mox cadet vltrà pergere iussus.

Dædalus & si struxerit ipse
Marmore Pystrin, liquidis quæ non
Sicca carebit fluctibus vnquam,
Nec mora mißis soluitur vndis.
Tu quoque si vis vincere rigidos
Studiorum æstus, nec mentem vnquã
Soluere, forsan lassatus cades,
Tanta afflictus pectora molle.

Anagrammatismus.

ANDREAS PETRICOVIVS. *Vi sapiens decoratur.*

AVrea, Christiadũ reuocarũt tẽpora cursum,
Nobile virtutis plebs meditatur iter.
Ante carina feros fluctus sine laude secabat
Naufragus, & damnum nauita sæpe tulit.
Miles inexhaustos suffert sine fine labores,
Sæpe tamen sequitur gloria nulla, necem.
Mille alij subeunt discrimina, laudis amore,
Quos tamen aduerso vultu inimica fugit.
Induit en placidos vultus, iam spontè coronat,
Cassus nequaquam iam labor esse potest.
Eia age. VI SAPIENS DECORATVR, cura laborque
Spinosa, tangat pectora nostra, manu.

Secundum Anagramma.

Increpans auri dotes.

QVerceta tantùm non laborant Iapygis
Gargani, Hyperboreo ſono.
Siluasq́; tantùm non comantes, opprimit
Aquilo cauernis refugiens.
Turres nec altas tanta molles impetit
Boreæ, furentis in æthere.
Rates nec vndis tot volantes improbi
Caſus, periculaq́; manent.
Vitam Dynaſtæ quot graues caſus petunt,
Menteſq́; miſeras diuitum.
Hæc tu ſagaci cernis ANDREA mente,
AVRIQ; DOTES INCREPAS.

Periphraſis eiusdem Anagrammatis.
Ode. Dic. Tetr.

DIuitis ſortem nimium beatam
Quis vocet? cuius pretioſa, tantùm
Aeſtuat fallax animus, tenere
Munera Perſæ.
Silua non tantùm Boreæ furentis
Flatibus, quantùm premitur nefandis
Diues à curis, quibus ipſe degit
Tempora merſus.
Sacra, captiuat miſeros, cupido
Sæpè mortales, cruciatq́ vinctos,
Ac iter cæco ſtimulat furore
Mortis inire.

Turbidi mandat remeare ripas
Aequoris, cogit Siculæ Charybdis
Horridas fauces, Magicæq; littus
Visere Circes.
Ingerit tutis trepidum timorem,
Dum strepit (tales) Zephyrus, parari
Rentur à tergo sibi, sacculisq;
Sæpe pericla.
Corpus haud gratis dapibus fouetur,
Pectus optatam renuit quietem,
Strangulat curis nimius, corusci
Aeris, aceruus.
Credulum pectus datur haud propinquo,
Mergitur præceps animus profundo
Cistulæ, semper sequitur, relicta
Luce, tenebras.
Inuident sortem comites secundam
Talibus, fallax, odiosus, horrens
Omnibus, talis miser, & fauente
Perditus hora.
ANDREA non te similem videri
Vis, Sophos verum comitatus, omnem
Consecras curam studiis, & auro
Terga relinquis.
Hoc placet Diuis superoq; Patri,
INCREPANS DOTES rutilantis AVRI
Viue. Sic nullas patiêre fœlix
Mente procellas.

EPIGRAM-

EPIGRAMMA.

MAgnum Anchisiaden modulatur Musa
Maronis,
Ductori Danaum psallit Achiua Chelis.
Te quoque nostra, licèt tenuis, cecinisse Thalia
Ausa est, & laudes vult simul ire tuas.
His Bellona fauet, Mauors vtrumque coronat:
Et tibi lauro ornat, docta Minerua, caput.
Gloria vos omnes decorat, sed non nisi bello
Acquirunt illi: tu Sophe semper habes.

LOGOGRYPHVS.

EST mihi grande caput, bis quinos eiice menses,
Post istos primum consule, fortè scies.
Dorsum præcipites mandat protendere passus,
Quodque ligat, voces hoc variare solet.
Quærit Cæsaries AN sint hæc cognita menti:
Quod mihi si nosti dicito, magnus eris.



IN EVNDEM EPIGRAMMA.

A. R. A.

TE quoq; iure meæ debẽt celebrare Camenę,
Quod grati referas pectoris officium.
Laurea dum meritò fertur tibi,non mihi mirũ,
Hoc miror, gressu quòd remorãte venit,
Tempore nam multo cumulâras artis aceruos,
Teq́; habuit charum doctus Apollo sibi.
Iamq́; datos tandem, lætus tibi grator honores.
Viue diu, & fœlix vtere sorte tua.

EIDEM ANAGRAMMATISMVS.

I. C. I.

SPECTES ARDVA IN VIRO.

INgenij sat magna tui documenta dedisti
ANDREA; virtus satq́; probata tua est.
Jure tibi delatus honos Virtutis, & Artis,
Quâ micat ingenuum pectus vbique tuum.
Quocirca (mirum) mea mens præsaga futuri
Exigit, vt de te magna animo teneam.
Nec nomen fallit variatum, namq; IN adulto,
Exclamat, SPECTES ARDVA quæq; VIRO.

EIDEM

ANDREAE PETRICOVI CRACOVIEN.

Amicitiæ pignus, S. H. L. dedicat.

PHœbus amat laurũ, vatũ ſunt præmia lauri,
Victores lauro, tempora cincta gerunt.
Quòd te victoris, Phœbus quòd nomine vatis,
Eſſe ſciat dignum, dona beata tulit.
Frondentis lauri ſertum, foliiſq; corollæ
Inſcripſit. Dignos, talia dona manent.

ALIVD.

VT quondam fertur, ſoluiſſe Aenigmata Sphyngis
Oedipus, & victor Regna Thebana tulit.
Te quoque difficiles nexus ſoluiſſe Sophiæ
Cùm conſtet, donat regna Sophia ſua.

ALIVD.

VNica præcingit viridãs tibi tempora laurus,
Opto, breui cingat tempore, bina comas.

EIDEM ANAGRAMMATISMVS.

SVAVIS PARENTI DECOR.

Dulce decus fouit mater Cornelia natos,
Quorum ſpe alebat ſanguini famam ſuo.
Aſſurgens paribus noſter PETRICOVIVS *auſis,*
In quam parentes gloriam non efferet?
Nomen idē memorat, recinit certamen honoris,
SVAVIS PARENTI DECOR *es. idem ait amor meus.*

